

# JAHRESBERICHT

DES

## KÖNIGL. KATHOLISCHEN GYMNASIUMS ZU OPPELN

FÜR DAS SCHULJAHR 1881—82,

DURCH WELCHEN

ZU DER AUF DEN 1. APRIL FESTGESETZTEN




EHRERBIETIG EINLADET

DR. HERMANN WENTZEL,

DIREKTOR DES GYMNASIUMS.

### INHALT:

1. De carm. I, 7 et epist. I, 11 inter se comparatis sive de Bullatio Horatiano.  
Von dem Oberlehrer ADOLF KNÜTGEN.
2. Schulanachrichten. Von dem DIREKTOR.



OPPELN.

DRUCK VON ERDMANN RAABE.

1882.

JAHRSBERICHT  
KÖNIGL. KATHOLISCHEM GYMNASIUM ZU OPPELN

1881-82  
Zbiory  
Wojewódzka Biblioteka Publiczna w Opolu  
Śląskie  
SU DER AUF DEN 1. FEBRÜER 1882 FREIGESETZTEN  
20023 §

D. HERMANN WENTZEL

Erste Ausgabe des Schlesischen Jahrbuchs

LINKS:

Die Geschichte der Stadt Oppeln und ihrer Umgebung  
Von Hermann Oppelt mit 16 Abbildungen  
und 2 Tafeln im Texte und 2 Tafeln im Anhange.

OPPELN  
1882  
Drukarnia Miejska i Towarzystwo Przyjaciół Nauk  
w Opolu

1882 - 50000 Nro 1787

Wpisano do Księgi Akcesji

Akc. K1 nr 53 /2011/ 2651

## De carm. I, 7 et epist. I, 11 inter se comparatis sive de Bullatio Horatiano.



imilitudinem intercedere quandam inter libr. I. carm. 7 et epist. I, 11 cum alii viderunt  
tum Krügerus.<sup>1)</sup> Quae quibusnam teneatur quo facilius intellegamus, argumenta,  
si placet, inter se conferamus.

Atque argumentum carm. I, 7, hoc fere est: Quaerenti quaenam loca quae adeantur  
digna sint alii urbes insulasque Asiae, alii Graeciae laudabunt, euidem Tibure praecepit  
Aniene mirifice oblector. Sed quid tibi opus peregrinatione? Ut imbres nimbosque notus non  
concitat continuos, ita est tristitiae modus vitaeque laboribus constitutus, quem sive foris eris  
sive domi invenies, cum qui rerum adversarum secundae vicissitudinis spem vino praecepit  
Teucri exemplum imitaberis.<sup>2)</sup> Sententiarum vero epist. I, 11 tractatarum summam his fere  
verbis concipere libet: »Quid tibi visae urbes Asiae celeberrimae? Magisne placuerunt Roma?  
An eo etiam nunc animo affectus es, ut Lebedi vivere velis? Scis Lebedus, pergit Horatius,

<sup>1)</sup> Ad hanc epistolam (ed. II.) pag. 224: seinem Inhalte nach ist er (der Brief) mit Ode I, 7 zu vergleichen.

<sup>2)</sup> Hoc carmen unum esse, non duo, testes in iis rebus locupletissimi Meinekius: »totum carmen qui in duas partes  
dissecare voluerunt, pro uno carmine omnibus fere numeris absoluto duo exhibuerunt, quorum neutri nec caput nec pedem  
esse video« et Reifferscheidius animadverterunt, quorum hic abrumpi etiam dicendi filum circa medium versum per analogiam  
carm. I, 28, 16 vel 20 vel 22 et epod. XII, 13 quae eodem metro conscripta eandem partitionem habent demon-  
stravit; cf. quae Dillenburgerus (ed. VII, p. 52) et A. Kiesslingius eadem de re disputarunt: philolog. Untersuchungen von  
A. Kiessling und U. v. Wilamowitz-Möllendorff (2. Heft zu Augusteischen Dichtern, Berlin 1881, p. 59): »Niemand denkt  
wohl mehr daran, es in zwei selbständige Gedichte, das eine ausmündend in den Preis Tiburs, das andere die Paränese an  
Plancus enthaltend, zu zerreißen.«

quid sit.<sup>3)</sup> Quae quamquam Gabii atque Fidenis minor est desertiorque, tamen ibi in turbidi maris, vitae meae imaginis, spectaculo defixus, vexatus a nullo neminique molestus degerem.<sup>4)</sup> Sed his refugiis nemo conquiescit, nisi is qui rebus adversis afflictus domi manere nequeat eademque incolumi<sup>5)</sup> supervacanea sunt atque adeo molesta ut »paenula solstitio, campestre nivalibus auris, per brumam Tiberis, Sextili mense caminus«. Quare »dum licet ac voltum servat fortuna benignum, Romae laudetur Samos et Chios et Rhodos absens«.<sup>6)</sup> Tu igitur id quod ratio et sapientia, optimae ad depellendas curas duces, poscunt peregrinationibus abstinentis vitae sapienti usu vives beateque.<sup>6)</sup>

Quae si accurati consideraverimus, simillima haec quaterna utrobique inveniemus.

Iam ut ab eo ordiamur quod vix quemquam fugit primum agitur de peregrinationibus, in carmine suscipienda, suscepta in epistula. Altero vero quod proximum est congruunt inter se carmen et epistula, quod occurrit illic in Graeciam Asiamque peregrinaturus, hic Asiae litus insulasque regionum amoenitate praestantia perlustrans. Quod Horatius in epistula Graeciae urbium mentionem non facit ne mireris; sciebat enim ubinam locorum ille tum esset. Deinceps, ut ad illud tertium veniamus, idem fuit cur alter de peregrinatione cogitaret, peregrinaretur alter; id quod, ubi hoc proposuero, probare aggrediar. Nemo igitur Romanus illis temporibus, ex divitioribus saltem, dum per leges in urbe esse licebat, Roma concedebat Italiaque, nisi cum imperio, nisi adscriptus ad cohortem praetoriam, nisi studiorum absolvendorum aut mercatura facienda causa. At enim earum rerum ne levissimum quidem vestigium exstat permirumque mihi videtur, quod olim quidam, Landinus, Irenicus, Chabotius<sup>7)</sup> hanc variam peregrinationem quaestus gratia ab eo qui epistulam accepit susceptam fuisse sibi persuaserunt, ad quam opinionem certe nemo est qui etiamnunc accedat. Sunt enim apud Horatium (l. l.), quibus illos homines suarum rerum taedio tristitiaque inde orta laborasse facile coniciamus. Iam vero in carmine ipso quibusnam ista significetur tristitia si quaeris, en habes vers. 15, 16, 17, quibus

<sup>3)</sup> Hi versus fieri non potest quin vindicentur Horatio loquenti, quod versibus 1—6 quae leguntur:

»Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos,  
Quid concinna Samos, quid Croesi regia, Sardis,  
Smyrna quid et Colophon? maiora minorave fama  
Cunctane praet Campo et Tiberino flumine sordent?  
An venit in votum Attalicis ex urbibus una,  
An Lebedum laudas odio maris atque viarum?«

nec perspicuum est quo iure Horatius interrogaverit, si v. 7 sqq. ex Bullatii ad Hontium epistula deprompta esse censemus et ab ea quam Horatius sibi imposuit lege abhorret, quā in epistula dialogus subito intus nec ullo vocabulo indicatus nusquam admittitur. Versuum enim epist. I, 16 v. 41 sqq. a Kellero quibus hunc Horatii usum a Lehrso (Fleckensche Jahrbücher für klassische Philologie 1863 p. 591) acute observatum infirmaret laudatorum prorsis alia est natura. cfr. Dillenburger. 1. l.

<sup>4)</sup> Protasin intermissam optime supplevit Wielandius: »müsste es sein, si me oportet, cfr. Schmid, Epist. 1, p. 248, 249 l. l., Obbarius II, p. 104 l. l. cfr. Doederlin, Hor. epist. p. 113, 114. (Ad epist. 1.)

<sup>5)</sup> Cfr. Anmerkung 10.

<sup>6)</sup> De sententiarum summa et carminis et epistolae cfr. quae disseruerunt viri doctissimi Dillenburgerus, Lehrsius, de epistulae Ribbeckius 1. l.

<sup>7)</sup> Obbarius II, p. 94 l. l.

eius ad quem datum carmen est vita in similitudinem caeli vocatur, eiusdem noti (fortunae) opera non semper nubibus (rebus adversis) coniecti, sed nonnunquam serenitate (rebus secundis) nitentis.

»Albus ut obscuro deterget nubila caelo

Saepe notus neque parturit imbres

Perpetuo.«

Eodem spectant v. 17, 18 quibus poeta ut maeroris finis fiat aperte monet atque hortatur: (17, 18)

— — sic tu sapiens finire memento

Tristitiam vitaeque labores.«

Quid? quod opponuntur tanta cum vi inter se »fulgentia signis castra tenent« et »densa tenebit Tiburis umbra tui«, nonne eo ipso ut de fortuna mutata cogitemus cogimur? Castra enim pertinent ad vitam in conspectu omnium collocatam cum imperiisque actam, umbra Tiburis ad vitam privatam degendam eamque quae a publicis curis remota sit. Sed quid multa? Cum Teucri exemplum ne gravissima quidem calamitate ut fortunam desperaret adducti certamque alterius patriae (Salaminis) spem nunquam deponentis exemplum imitandum proponit, quid aliud facit poeta nisi tristem afflictumque consolatur atque erigit? Quibus cum apparent in aegritudine versatum esse ac tristitia eum quocum agit Horatius tum iisdem cognoscimus huius tristitiae causam non tam privatam fuisse quam publicam.<sup>8)</sup> In epistula vero summam tristitiam spirant, ne dicam desperationem, v. 7—10 quibus poeta eodem se quo eum ad quem misit epistulam malo laborare fingit:

»Scis, Lebedus quid sit. Gabii desertior atque

Fidenis vicus; tamen illic vivere vellem

Oblitusque meorum obliviscendus et illis,

Neptunum procul e terra spectare furentem.«

Similis est ratio versuum 22, 23:

»Tu quamcunque deus tibi fortunaverit horam

Grata sume manu, neu dulcia differ in annum,«

quam exhortationem in hominem sua ipsius conditione contentum felicemque posse cadere nemo certe est qui arbitretur. Immo si cuiquam non dubito quin opus fuerit illi qui, quod animo aequo carebat, curas »loco effusi late maris arbitro auferre« pararet et »strenua inertia navibus

<sup>8)</sup> Cfr. Reifferscheidii Coniectanea, indici lectionum Vratislav. adiecta Wintersemester 1879/80, (besprochen von Mewes Zeitschrift für Gymnasialwesen 1880, p. 321): Darin liege zugleich der Grund für die Traurigkeit des Munatius angedeutet, der sich damals mit dem Gedanken getragen habe, freiwillig das Exil aufzusuchen, weil er daran verzweifelte, die Gunst des Octavian wiederzugewinnen. Cfr. Franke, fasti Horatiani p. 149: tristem fuisse Munatium quod Octavianus Munatium una secum ad bellum Actiacum proficiisci noluisse.

atque quadrigis bene vivere« peteret. Quamquam quid loquor? Quibus exemplis in epistula utitur, viatoris qui imbre oborto in cauponam deversus manere ibi nolit, eius qui, etiamsi frigus collegerit, furnis atque balneis aditis mox discedat, nautae qui, quamvis valido austro iactatus, navem tamen trans Aegaeum mare non vendat, nonne in his eius quo ille fuerit animi tamquam in speculo imaginem intueri possumus? De tristitia qua ille laboraverit satis multa, deinceps de caussa qua orta sit pauca dicenda. Atque duo loci afferendi in huius rei testimonium videntur v. 17, 18, 19:

»Incolumi Rhodos et Mitylene pulchra facit quod  
Paenula solstitio, campestre nivalibus auris,  
Per brumam Tiberis, Sextili mense caminus«

et v. 21, 22:

»Dum licet ac voltum servat fortuna benignum,  
Romae laudetur Samos et Chios et Rhodos absens.«

Erat igitur illis temporibus, ut Reifferscheidius optime observavit animadvertisque, »Rhodus et Mitylene«<sup>9)</sup> antiphrasis quasi quaedam invisa vocis exsilii. Qua quidem antiphrasi usus poeta, quo declararet illius cuius luctum levare solatio conatur exsilio esse voluntarium, »Rhodum et Mitylenen« cinxit ab altera parte voce: *incolumi*,<sup>10)</sup> ab altera

<sup>9)</sup> ibidem (Nov. 1880) p. 31. »Aus den bereits von Mitscherlich aus den Episteln citierten Stellen sei ersichtlich, dass in jener Zeit die Verbindung von Rhodos und Mitylene fast zu einem Euphemismus für das verhasste Wort exsilio geworden sei.« Cfr. Obbarius II, p. 112: utraque urbs imprimis exsulantium eruditiorum sedes fuit. Cf. Cic. epist. ad famil. IV, 7 (ad Marcellum): cogitandum tamen tibi esset Romane et domi tuae, cuiusmodi res esset, an Mitylenis aut Rhodi malles vivere; IV, 9; VII, 3, 18; etc. Senec. consol. ad Helv. 9.

<sup>10)</sup> »Incolumi« Lehrsius putat significare: »sanæ mentis homini, constanti et quieto« (Schol. Crucq.), electis versibus 20, 21: »dum licet ac voltu etc.« Jahrbücher für Philolog. etc. 1863, p. 541; Lehrs, Q. Horatius Flaccus (mit vorzugsweiser Rücksicht auf die unechten Stellen und Gedichte), Leipzig 1869, ad epist. I. p. CLXXI; cfr. Dillenburger ad I. I. Ribbeckius Sanadonum auctorem secutus (Q. Horatius Flaccus, Epist. und Buch von der Dichtkunst mit Einleitung und kritisch. Bemerkung. Berlin 1869) epistulae integritate servata cogitat de homine nobili in exsilio missio p. 142, 143. Cfr. quae de Sanadoni et Valckenaerii sententia adnotavit Obbarius II, p. 94 sqq.: »qua quidem sordida quaestus notione abiecta Lambinus, Crucqius, Torrentius, Rodellius, alii Horatium Bullatio, qui vel molestiae cuiusdam vitandae causa, vel aegro animo suo remedium quae siturus in Asiam navigarit, suadere putant eumque adhortari, ut suos revisens Roman redeat. Hanc sententiam plurimi recentiorum interpretum (Duentzerus quoque) pro suo quisque modo sequuntur, nisi quod Sanadonus, Dorighellus, Campenonus, Valckenaerius Bullatum rei certae i. e. bellorum civilium causa discessisse, id quod multos fecisse constat, sibi persuaserunt. In exsilio voluntarium sub finem liberae rei publicae profecti dicuntur Metellus Numidicus (Liv. frg. 69), Marcellus (Cic. Ep. ad Div. 4, 8), C. Matius (ibidem ep. 11, 28), imperator Augusto cum aliis tum Agrippa (Dio. Cass. 53, 32) et Tiberius qui invito vitrico Rhodum secessit (Suel Tib. 10). cf. quae de Bullatio Valckenarius I, p. 469 disputavit: C'est vers ce temps (725) et après le retour d'Octave César à Rome et son triomphe, que fut écrite la courte et élégante épître adressée à Bullatius. Ce personnage ne nous est point connu d'ailleurs; mais d'après cette épître, il nous paraît avoir été un partisan de la république mécontent de l'ordre des choses qui s'établissait en proie à une affection hypochondriaque. Il possédait une villa à Ulubre(?), petite et triste ville de la Campanie, et il voyageait en orient pour se distraire de la melancolie, dont il était obsédé. Il avait manifesté l'intention de se fixer à Lébédos. Horace lui écrivit pour l'engager à quitter ce séjour et à revenir à Rome. Il paraît même probable, d'après les vers 22 et 23 de cette épître, que Bullatius était invité à revenir par Octave César et qu'Horace ne faisait que seconder les desseins de cet empereur en écrivant à son ami.« Subtilissimus huius rei auctor fuit Sanadonus. Nos cum his facimus, »incolumi« ad dignitatis atque fortunae integratem ex Horatii ipsius auctoritate referentes, qui si sub voce »incolumi«

enunciato relativo vanissima quaeque atque inutilissima continent. Quibus quae sententia efficitur haec est: Quod quidem Mitylenae et Rhodi habitare vis, exsulare non coactus, pariter vana moliris et inutilia ac si quis »paenula solsticio, campestri nivalibus auris, per brumam Tiberi, Sextili mense camino« utatur. Quid? Cum hac mea interpretatione nonne optime congruunt v. 20, 21 »dum per rem publicam licebit esse Romae tuque fortuna eris integra, pulcherrima Asiae oppida tu manens in urbe laudes absentia?« Reliquum est, id quod in quarto loco similitudinum posueramus, ut idem in carmine, idem in epistula aegritudinis depellendae remedium commendari paucis ostendam. Ac carmine quidem dissuadet Horatius peregrinationem; nisi animi aequitate vitaeque sapienti usu tristitiam tolli non posse Teucri exemplo sub finem collocato docens. Epistula autem peregrinantem ubi exemplis quibusdam qualia communi vitae consuetudine efficaciora validioraque ut fere fit aliunde petitis suppeditantur declaravit quam ille temere fecisset ad animi aequitatem recuperandam vitaeque acerbitates laetitia exhilarandas utpote unicam mali medicinam revocat, cum vi quadam veri aegritudinis fundamenti descriptione epistolam concludens.

Haec habui quae dicerem de rerum carm. I, 7 et epist. I, 11 disputatarum consensu qui quidem perpendenti mihi iterum mecum quinam sit ex omni parte ita absolutus esse videtur, nihil ut reperiatur quo turbetur. Quo magis miror quod canticum (Munatii) Planci, Bullatii nomen epistula prae se fert accingorque facile ad inquirendum in id, codicum scribarum errore fierine potuerit ut ex uno altero nomine efficerentur quae nunc habemus duo.

Atque hoc iam nemo est quin fateatur per libros manu scriptos fieri potuisse. Litteram enim quippe naturae arctissimo vinculo cum »b« coniuncta — maiusculane exares litteran minuscula nihil interest, etsi maiusculae faciliorem esse mutationem non nego — millo negocio transit in »b«:

Epitalanum! carbubenbitum Sive laus thalami (carmen nubentium) Cod. Bern. 236 f.  
56<sup>b</sup> col. 1.<sup>11</sup>)

Nechamel = Nectabel, cod. Heidelberg. Prisciani inst. VII, 29—32, ed. Hertz,  
vol. I, p. 312  
quae altera videtur esse difficultas n quod mutatur in 11, dissolvitur eiusdem Bernensis codicis  
auctoritate qui f. 50<sup>b</sup>, col. I pro: »exponere« habet: »ebellere«<sup>11)</sup> f. 114<sup>b</sup>, col. 3: »mandarat«  
interpretatur adiectis: »denegarat vel commendaratum (delegaverat)<sup>12)</sup>. I autem sive simpliciter

illam sanae mentis hominis, constanti et quieto<sup>a</sup> sententiam subicere voluisset, non dubito quin, id quod Sat. II, 3, 132 fecit, eius adiectivi notionem ablativo: «capite» addito fuerit contracturus? («incolumi capite es?») At simillima epistulae loco est ratio sat. I, 4 v. 98—100

— et incolamis laetor quod vivit in urbe;

Sed tamen admiror quo pacto iudicium illud

Fuggerit, «

eadem huius vocis vis (gesicherte bürgerliche Stellung) est apud Ciceronem epist. ad Marcellum IV, 9: tuum est consulere temporibus et incolumenti et vitae et fortunis tuis. ceterum cfr. Hor. carm. III, 5, 12; IV, 5, 27. cfr. Doederlin. Horat. Epist. I, p. 112.

<sup>11)</sup> Hagen, gradus ad criticen, Lpzg. 1879, p. 9.

<sup>12)</sup> ibidem p. 45.

sive dupliciter scripti in codicibus usus promiscuus est. Cuius a librariis erratorum generis pluribus defungerer exemplis, nisi timerem ne in re apertissima testibus uterer non necesseriis. Quare cum non esse videatur quo loquitur pro »Bullati« legamus »Munati« impediamur, mutandi veniam vel eo datam quod codicum auctoritas in nominibus propriis imprimis incerta ac debilis esse solet<sup>13)</sup> amplectemur, praesertim cum multa quibus nostra sententia fulciatur suppetere nobis cognoverimus. Atque ut omittam eandem »Munatii« et »Bullatii« vocis pronunciationem, maximi ad improbadum hoc nomen momenti puto esse quod quae argumenti loco et apud Porphyriionem et Acronem et commentatorem Crucquii praemissa inveniuntur epistulae interpretationi ea, si cum carminis l. argumento quod apud eosdem offertur comparaveris, vetera tempora nequaquam attingunt. Cuius rei ne apud scholiastas quidem illos indicium deest, quod Porphyriionis cuius scholia »quaedam ampliora et accurata hominum rerumque cognitione conspicua«<sup>14)</sup> suo iure viri doctissimi in antiquissimis habent<sup>15)</sup> codices omnes veteres quae huius epistulae praefationis vice fungantur iis prorsus parent et quae apud Hauthalium<sup>16)</sup> eaque uncinis inclusa Porphyriionis esse videntur ea ex editionibus tantummodo quibusdam scholiorum Horatianorum saecul. XV (vafh. Q.)<sup>17)</sup> sumpta sunt, quorum quae sit indeoles quo facilius appareat in ipso conspectu collocata infra transcripta ponam: »Bullatum alloquitur qui omnes regiones sordidas putabat ad comparationem urbis Romae et quod ibi semper commanens ad alia non transierat.«

Haec nonne sunt Pseudo-Acronis — falso enim praetorio venabant quae eius esse vulgo ferebantur — eius quem luculentissime Usenerus<sup>18)</sup> declaravit »magistrum mediocriter doctum Bedae aut summum Alcuini temporibus scholiorum farraginem cum ex codicibus aliquot tum suo abusum ingenio collegisse« et Acrone ipso indigna esse videntur? A quo eodem quae apud Hauthalium Acroni ipsi assignantur profecta sunt, nisi quod quae nova habent ea poetae ipsius verba amplificata reddunt:

»Bullatum alloquitur qui omnes regiones sordidas putabat ad comparationem urbis Romae et quod ibi semper commanens ad alia non transierat. Cui commemorat Horatius multa loca iucundiora [et maiora quibus nihil ad votum deest; non interesse in maiore aut (an) in minore civitate vivat, cum utrobique bene possit vivere].« quae uncinis cohibentur miserunt Bφ. relictis litteris quibusdam incertis. Meliora his neque tamen quibus Bullatum quis fuerit personam animo concipiamus apud commentatorem Crucquii<sup>19)</sup> obvia habemus: »Alloquitur Bullatum qui varia loca villarum, civitatum, regionum accesserat: quem inter-

<sup>13)</sup> Jahresbericht des Philologischen Vereins zu Berlin, 5. Jahrgang, 1879, zu Horaz von Mewes (Besprechung des Linkerschen Verbesserungsvorschlags zu carm I, 34) p. 123: »Namen sind ja in den Handschriften mehr als anderes der Verderbnis ausgesetzt.«

<sup>14)</sup> Cf. Kiessling. de pers. Hor. (1880) p. 4.

<sup>15)</sup> Usenerus de schol. Horatianis, Berlin 1863, p. 7; Kiessling. de pers. Hor. 1880, p. 5.

<sup>16)</sup> Schol. Hor. Acronis et Porphyriionis, Berolini 1866, II, p. 429.

<sup>17)</sup> sigla sunt Hauthaliana.

<sup>18)</sup> ibidem p. 8.

<sup>19)</sup> Raphelengii 1611, p. 551.

rogat anne ad comparationem et Campi Martii ei sordida merito videntur (sic!): quod cum neget Bullatius et Lebedum p[re]ferat, tandem concludit Horatius omnia loca sive minora sive maiora aequalia esse ad bene vivendum.«

De Bullatio igitur veteres scholiastas nihil prodidisse cognovimus; videamus numquid de Munatio p[re]beant. Quinque quamquam Munatii sunt qui in Horatii aetatem incident, tamen scholiastae hanc unam deliberationem utrum ex duobus sequeremur reliquam fecerunt, ad unum omnes cum Munatium consularem Tiburtemque origine fuisse dixerunt. Atque apud Porphyriōnem haecce scripta invenimus: Hac ode Munatium Plancum consularem adloquitur qua indicat se p[re]cipue Tiburtina regione delectari omnibusque eam sua sententia p[re]ponendam affirmat. ad v. 15: Plancus enim inde (Tibure) fuit oriundus.<sup>20)</sup> Quae pluribus in scholiis quae feruntur Acronis exposita videmus hisce:

»Munatium Plancum adloquitur, virum consularem, Tibure oriundum in cuius gratiam dicit, cum diversis poetis studium sit diversas insulas oppidaque certorum numinum gratia celebrare carminibus, sibi Tiburtem (civitatem sive regionem?) esse laudandum cuius voluptate capiatur vel amoenitate et Albuneae Nymphae eiusdem nemoris vicini agro Tiburti de quo Verg. (A. VII, 83): »Lucosque sub alta consulti Albunea.« Tibur autem Tiburnus condidit a quo nomen civitati est. Hic fuit filius Catilli, filii Amphiarai, ut Verg. (A. VII, 672) »Catillusque acerque Coras«. Sed hac ode Plancum hortatur ut curas voluptatibus relaxet exemplo Teucri Telamonii.<sup>21)</sup> Quibuscum scholiastes Crucquii ad verbum fere consentit: »Munatium Plancum alloquitur consularem virum, Tiburtem origine, in cuius gratiam dicit, cum diversis poetis studium sit diversas insulas oppidaque certorum numinum gratia celebrare carminibus, sibi Tibur esse laudandum cuius voluptate capiatur et amoenitate necnon Albuneae Nymphae eiusdem vicini nemoris deae.« Tibur autem Tiburnus condidit a quo nomen est civitati; hic fuit filius Catilli, filii Amphiarai, ut (deest: Vergil. A. VII, 672) Catillusque acerque Corax (x!). Hortatur autem Plancum ut curas voluptatibus relaxet exemplo Teucri Telamonii.<sup>22)</sup>

Iam alter est ille quem consulem a. u. 712 quod cum omnibus deinceps bellorum civilium imperatoribus fecerat Velleius Paterculus<sup>23)</sup> ignomimose »partium desultorem morboque proditorem« appellavit. Primum igitur secutus Caesarem post eius obitum per aliquod tempus a Cicerone iisque qui eius ante Caesarem fuerat rei publicae restituendae consilia agabant stetit, deinde Octaviani, post Antonii, a. 722 rursus Octaviani partibus se applicavit. Cui cum anno 727 auctor fuit Caesaris atque Augusti nominum inditorum tum in re publica novis legibus temperanda singularem operam p[re]stetisse videtur neque tamen fidem omnibus suspectam probare potuit. Quod aegre Munatium tulisse in voluntariumque exsilio eundi cepisse consilium probable sane est.

<sup>20)</sup> Haithal. I, p. 31.

<sup>21)</sup> ibidem p. 27.

<sup>22)</sup> Raphelengii 1611, p. 22.

<sup>23)</sup> II, 83.

Alter vero Munatius superiore haud scio an natus est ille qui commemoratur epist. I, 3, 6 in iuvenibus cohortis praetoriae quam iocose vocat Horatius studiosam eius quae una cum Tiberio Nerone, expeditionem in Armeniam facienti, in Asiam commeavit.

De hoc Munatio cogitarunt Estréus, Ritterus, Campius, alii, de illo plurimi et veterum Horatii interpretum et qui nostris temporibus in eum commentati sunt.

Sed priusquam cum utris faciat ipse Horatius perscrutemur, illi qualem Munatii informarint condicionem breviter perstringamus. Atque Estréus quidem<sup>24)</sup>) arbitratur huic iuveni carmen inscriptum fuisse non ita diu ex Graecia Asiaque reverso quem modo, »fulgentia signis castra« (v. 19, 20) tenuissent. Tristitiae vero qua ille sollicitabatur — solatur enim illum Horatius — quae caussa fuerit negat inveniri posse. Quam invenisse sese profitetur Fr. Ritterus eo quod opponitur Munatius Teucro cum patre dissidenti eundem filii Munatii in patrem animum fuisse, quod ille Tiberii amicitiam et in expeditione Armeniaca contubernium crimini versa indignatus esset, audacius quam verius opinatus.<sup>25)</sup> Prorsus alia eadem de re visa sunt Campio,<sup>26)</sup> rato simultatibus illis quarum mentio fit epistula I, 3, 6 inter Munatium et Iulium Florum exortis Munatium in Tiberii Neronis odium venisse suaque sponte in aliqua aut Graeciae aut Asiae urbe exsulare constituisse. Sed uterque haud scio an plus aequo ponderis attulerit praesenti tempori: »castra tenent.« An est quod obstet praesenti tempore quin significetur res praeterita eaque cuius aut memoria aut vis nondum sublata sit? Immo praesentis ita usurpati apud poetas multa exempla invenies. Cfr. quae Dillenburgerus ad Sat. I, 6, 13 ex Madvigio attulit et Ladewigius (ed. IV. Berolin. 1865) ad Aen. II, 275 et ad Bucol. VIII, 45 adnotavit.

— Valeri genus, unde superbus Tarquinius regno pulsus fugit, — Sat. I, 6, 13.

2. Divinare etenim magnus mihi donat Apollo. Sat. II, 5, 60.

3. Saevus ubi Aeacidae telo iacet Hector. Verg. Aeneis I, 99.

4. Hectore qui reddit exuvias indutus Achillis. Aen. II, 275.

5. gnatum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras. Aen. II, 663.

6. Cratera antiquum quem dat Sidonia Dido. Aen. IX, 266.

7. adfecit pretio nec equis adspirat Achilles. Aen. XII, 352.

8. Nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt. Bucol. VIII, 45.

»Sive te castra tenent« igitur idem valet quod: sive te castra usque ad hoc tempus tenuerunt sive cuius rei recens est memoria castra te tenuerunt. Iam vero »castra tenent« aptiusne dicitur de eo qui turbulentis bellorum civilium temporibus, donec hoc carmen scriptum sit, paludatus semper, togatus nunquam fuerit triumphumque deportarit amplissimum an de iuvene eo qui primae eidemque imbelli et absque armis factae expeditioni qualis erat a Tiberio in Armeniam suscepta interfuerit, non tam belli aut laborum aut periculorum, si qua erant, quam studiorum, ut iocatur Horatius, socius?<sup>27)</sup>

<sup>24)</sup> Horatiana Prosopographica, Amstelodami 1846, p. 490, carm I, 7.

<sup>25)</sup> Leipzig, Bd. I, p. 32 l. l.

<sup>26)</sup> Campe zu Horaz, Neue Jahrbücher für Philologie und Pädagogik, 115/116 Bd., 2. Heft, p. 139, 190.

<sup>27)</sup> Cfr. Campe zu Horaz, Neue Jahrbücher der Philologie und Pädagogik, 115/116 Bd., 2. Heft, p. 138: Tiberius

Quare quominus ad eorum qui existument »castra fulgentia signis« eam spectare expeditionem meam adscribam sententiam recusabo, nisi iidem concederint ludibrio Tiberium habitum esse a quo Horatium longissime abfuisse sicunde vel hac ex re appareat quod totus et animo et mente Augusto utpote populo Romano meliorum temporum auctori quin deditus fuerit dubitari nequaquam potest. Quid? in adolescentuli prima stipendia merentis animo fitne ut haec tanta tamque gravis tristitia inhaereat, nihil ut lenitum videatur? Supersessurum quoque fuisse puto Horatium qua est rerum humanarum prudentia ita consolandi labore, ut ad vinum laetitiamque provocaret, si cuius iuvenis animum tristitia demersum reperisset. Ceterum sane quam mirum nonne esset si Teucer, strenuus ille vir bellique laboribus atque periculis exercitatissimus, contra iuvenem positus esset propter primas in quas incurrerat difficultates rebus suis diffisum? Nonne credibilis est, rerum et adversarum et secundarum summam utrius aequalem fuisse, comparatio ut utique facilis esset velut Munatii superioris et Teucri? Uterque enim haud ita exigua vitae partem bello atrocissimo neque sine laude interfuit, uterque bello composito quod conquereretur habuit, uterque denique nominis claritatem adeptus est coloniis maximis deductis, hic Lugdunum et Rauricum, ille Salaminem in Cypriam, qua potissimum re cum Reifferscheidio consentio ut cum Teucro Munatum compararet Horatium impulsu esse.

His igitur quae de utroque nomine ad nos pervenerunt recognitis quin concedamus constitisse apud veteres quis Munatius fuerit, non constitisse quis Bullatius facere non possumus. Quod qui Porphyrii quae quidem scholia vetera tempora testantur in iis idoneam ad res personasque quae fuerint perspiciendas materiam praebenti accidere potuerit si quaeris, Munatii nomen in Bullatii depravatum esse ante optimi illius carminum Horatianorum interpretis aetatem cum suspicor, a vero haud multum abesse mihi videor, pro explorato habens doctissimorum vivorum ex auctoritate<sup>28)</sup> poetae carmina eandem fere quam nunc formam illo iam exhibuisse tempore et Pophyriionem, cum apud eos qui de Horatii personis scripserunt nihil de Bullatio reperisset, nihil de eo prodere potuisse. Accedit quod optimo iure in dubium potest vocari in nominibus Romanorum gentiliciis quoram quidem ulla ad nostram aetatem pervenerit notitia Bullatiorum num nomen fuerit. Hoc enim neque apud veteres scriptores exstat in epigrammatico Italico quidem quae semel commemoratur Bullatia in columbario<sup>29)</sup>

---

hatte bei sich eine Schar von jungen Leuten, die studiosa cohors, wie Horaz sie scherzend nennt, denen der Zweck des Zuges und der etwaige Kriegsdienst ziemlich gleichgültig sein mochte, es war ein gewählter Kreis vielversprechender junger Leute, wie sie der geistvolle Prinz um sich zu haben liebte.

<sup>28)</sup> Jahresbericht des Philolog. Vereins (Zeitschrift für Gymnasialwesen von Hirschfelder, 34. Jahrgang, der neuen Folge 14. Jahrgang: October), p. 294. Mewes zu Luciani Müller Q. Horat. Flacci carmina iterum recognita: Die Interpolationen haben sich bereits in den ersten 60 Jahren nach dem Tode des Dichters eingeschlichen, so dass bereits im Zeitalter des Quintilian der Text im grossen und ganzen dieselbe Gestalt gezeigt habe, in welcher es jetzt vorliege. Verderbnisse endlich, die zu einer späteren Zeit eingedrungen seien, lassen sich durch Aenderung weniger Buchstaben beseitigen. Cfr. Lucian Müller, Einleitung zur 2. Aufl. Cfr. Haupt, opusc. III, pars I, p. 47.

<sup>29)</sup> Bullatia | Quinta | C. Ancharius | Lezbius (Wilmanns.: exempla inscriptionum latinarum n. 486. Titulus columbarii alicuius a. 1852 Romae in vinea Codiana ad viam Appiam detecti. Altera Bullatia (Secunda) commemoratur Corp. inscript. lat. VIII, 2. n. 9004 ex cippo Dellyis, Mauretaniae urbis, nunc inserto parieti aedium privatuarum.

eam vix audeo ingenuarum numero habere coniugis qui videtur fuisse cognomine prohibitus »Lezbii«.<sup>30)</sup> Neque enim intellego qui potuerit contingere ut homo ingenuus ex eaque Anchiorum gente cuius prior Octavii, patris Augusti, uxor erat<sup>31)</sup> quaeque eo tempore aliquo certe numero erat et honore quo quidem cognomine a libertino homine discernebatur ingenuus eo uteretur. An censes, si ille Ancharius Lezbius nobili loco natus et hic Bullatius cum Augusto affinitate coniunctus aliqua fuisse ut eius adversa fortuna apud omnes illius temporis scriptores silentio praeteriretur? Ergo Bullatum hominem fuisse nobilem consentaneum minime est, sed illud fortasse contra dicet quispiam Bullatum fuisse ignobilem illum quidem sed divitiis aut ingenio praecellentem, cuius generis homines quosdam Horatius ipse testis est amplum locum obtinuisse.<sup>32)</sup> Fuisse eo tempore tales homines haud paucos non negaverim, sed qua ratione poeta iis utatur contempleris velim. Quibus cum tantum absit ut unquam pepercerit, ut quae in iis conspexisset vitia, aemulationem imprimis nobilium, exprobrandi occasionem nullam praetermisserit, num istum arrogantius vel summis se gerentem viris impunitum tulisset? Nonne, si eo Horatius nescio qua re permotus abstinuisset, castigasset eorum qui de personis Horatianis scripserunt garrulitas? Non est igitur cur in Bullatii nomine persistamus. Cuius rei, etsi levius esse videtur, argumentum etiam hoc accedit quod Horatius quas personas in carminibus vel epistulis est allocutus aut breviter saltem attigit cum iis iterum in epistulis sermonem confert? Tres igitur epistulae ad Maeccenatem (Ep. I, 1, 7, 19) una ad Albium Tibullum I, 4, una ad Torquatum I, 5 (idem prope consilium et carmen (IV, 7) et epistula sequuntur), una ad Tiberium Claudium Neronem (commemoratur praeterea I, 9, I, 3 2), una ad Aristium Fuscum I, 10 (Satir. I, 9, 61, Sat. I, 10, 83), una ad Iccium I, 12, una ad Caesarem Augustum II, 1, una ad Quinctium aut Hirpinum aut Crispinum I, 16, tres epistulae ad Tiberii Neronis in expeditione Armeniaca comites, duae ad Lollium Maximum, filium Lolpii carm. IV, 9 laudati, datae sunt, quibus efficitur sedecim epistularum numerus, non plus septem ut supersint ad ignotos scriptae. Sed numquid est cur pro ignotis habeamus? An in his epistulis earum rerum quae cum quibus personis agatur declarant satis magna est copia? Numonius nimirum Vala cui inscripta ep. I, 15 est ad Veliam et Salernum villas habuit et haud scio an idem ille Numonius Vala fuerit quem ait Velleius Quinctilii Vari legatum et ducem et copias deseruisse. Ad quem data est I, 13 Caius Vinnius Fronto ex epistula ipse cognoscitur quis fuerit. Hunc igitur hominem agrestem sane sed liberum misit poeta ex vicinia Sabini Caesari Augusto tres carminum libros semel editos allaturum; epistulam vero a Vinnio nunquam acceptam sed scriptam esse Au-

<sup>30)</sup> Cfr. Marquardt Privataltertümer I, p. 23.

<sup>31)</sup> Cfr. Wilmannsii notam ad inscriptionem 486.

<sup>32)</sup> Epod. 4, Sat. I, 6, 38 sqq.

gusti gratia consentaneum est.<sup>33)</sup> Ceterae epistulae etiamsi exceptis iis quae ad vilicum (I, 14) scriptae sunt et ad librum (I, 20) certa nomina eaque apud Romanus haud rariora perhibeant, tamen tam generalibus compositae sunt sententiis, ut simulatis iis nominibus ad multos de aliqua re certiores faciendo datae non iniuria putentur (ad Numicium epist. I, VI, ad Scaevam I, 17).

